

acrescant, aliqua ratione explicare, suamque hypothesin ab interitu liberare possit. Nec minoribus objectionibus obnoxia est illa de periodo 46 annorum suppositio, quam penitus subvertere videtur ipsius *Petiti* a *Sturmio* l. c. Cap. V num. VI allata observatio, secundum quam intra paucos annos totam absolvere deberet Ellipsin, cum intra duos vel tres menses, si non quartam, quintam, aut sextam, saltem magnam ejus partem Cometa anni c1o1o cLXIV sit emensus. Ut nihil jam dicamus de ea, quam contra suppositam 46 annorum periodum l. c. Cap. V num. V maxime *Sturmio* urget, observatione, quando Cometas sub finem apparitionis in nucleos divisos asserit. Quamvis enim non prorsus negare eam ausus fuerit *Petitus*, neque nos eam plane rejicere sustineamus, parum tamen huic observationi superstrui posse putamus, cum propter silentium omnium, qui Cometas observarunt recentiorum, & potissimum ob *Kircheri* ab *Hevelio* hunc quoad passum dissensum, quem *Olhofius* notat in excerptis ex literis ad Joh. Hevelium pag. 107, tum ob ea quæ infra § XIII de isthac observatione ex *Newtono* monuimus.

VIII.

Ad quas maximam partem superandas ansam dedit Cometa anni 1680

In statu scientiæ Cometicæ tam ancipiti, famosus ille Cometa sub finem anni c1o1o cLXXX & sequentis initium apparuit, qui uti in plebe stuporem, ita in doctis magnum excitavit ardorem, per varia tentamina naturam & motum illius accuratius inquirendi. Commendaverat se utique eorum opinio, qui Cometas sidera a mundo condito jam existentia putarunt, cum ii, qui novam eorum ex effluviis Planetarum generationem defendebant, multis de genesi ac interitu horum corporum difficilibus se

se